VOTA ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIAE Aragonum, & Scribania Francisci Luca de Lasala, Scribæ principalis illius habito, & actitato intitulato Processus Doctoris Iacobi Ioannes Torres,

SVPER APPREHENSIONE.

IN Processu, & causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonũ habito, & actitato, intitulato Processus Doctoris Iacobi Ioannis Torres, & Annæ Mariæ de Torres, & Gilabert coniugum, Vicinorum Villæ de Agramunt, super apprehensione, interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curię, Illustrissimo Domino Don Luca Perez Manrique, Milites Maiestatis Domini nostri Regis Cõsiliario, ac Iustitia Aragonum, & Illustribus Dominis Francisco de Mirauete, Balthasare Amador, Ioanne Francisco Salazar, Dominico Escartin, & Dominico Augustino Salauerte eius Locumtenentibus, existenteq; dicto, & præintitulato Processu, in deliberatione super sententia diffinitiua in eodem ferenda. TRES ex dictis Dominis Locumtenentibus fuerunt opiniones, & voti, quod tenetur, & debet pronnntiari, & mandare tolli apprehensionem, & signa Regia à bonis apprehensis respectu iurium, & bonorum, sub numero secundo appellitus præsentis apprehensionis confrontatorum, & ea mandare restitui principalibus Nicolai de Sepulueda Procuratoris, & miti eosdem in possessionem dictorum iurium, & bonorum, & hoc sine præiuditio Doctoris Iacobi Ioannes Torres, & Annæ Mariæ Gilabert coniugum, principalium Martini Ioannis de Biu Proc. respectu instrumenti comandæ viginti mille solidorum Iacensium confecti, sub die vigesimo nono mensis Ianuarij, anni millesimi quingentesimi octuagesimi septimi, cuius respectu fuit recepta eorum propositio in præsenti Processu, non obstantibus in contrarium supplicatis, quæ, & alia locum non habent. EX EO, & alias pronuntiatur, & declaratur tollendam esse apprehen-

sionem,

ſionem,& ſigna Regia à bonis apprehenſis reſpectu bonorum,& iuriũ ſub numero ſecundo appellitus præſentis apprehenſionis confrontatorum, & ea mandantur reſtitui Priori Canonicis,& Capitulo Collegialis,& Parrochialis Eccleſiæ ſancti Vincentij, loci de Albelda, & mandatur eis mitti in poſſeſſionem dictorum bonorum apprehenſorum,quoniam ex praxi,& conſuetudine Regni ab antiquo recepta,& obſeruata deducitur obtinentem tres ſententias in Rota Romana tranſactas in rem iudicatam poſſe in proceſſu apprehenſionis,& poſt latam ſententiã in articulo tenutæ tolli apprehenſionem,& ſigna Regia ſimilum bonorum apprehenſorum,& ſibi reſtitui vna cum fructibus petere,dictarum tamen ſententiarum executoriales Romanæ Curiæ exhibendo,& cum dicti Prior, & Canonici præfatæ Collegialis, & Parrochialis Eccleſiæ obtinuerint in Rota dictas tres ſententias, ſuper bonis dicti numeri ſecundi appellitus apprehenſionis confrontatis, & executoriales,ſeu mandatum executiuum,demittendo in poſſeſſionem produxerint,ſuplicantes iuxta praxim Regni tolli apprehenſionem , & ſigna Regia , & alia ſupradicta;ideo pronuntiandum (prout nobis ſupplicatur) fore iudicamus. Nec obſtat ſi dicatur,quod ſupradicta praxis , & conſuetudo tantummodo,ſibi locum vindicat in cauſis beneficialibus in quibus ita introductum eſſe colligitur,ex eo, quia iudex laycus in petitorio iuditio in his,nihil decidere,nec proferre poſſe apparet, quam reſtrinctionem reijciendam eſſe iudicamus ſiquidem compertum eſt , vt non modo in beneficialibus,verum etiam in alijs cauſis mixtis,idem in Regno iudicatum;& obſeruatum fuiſſe,ſed tollit omnino dubium;quod ipſe Franciſcus Gilabert coram Eccleſiaſtico Illerden.cauſam dictarum Decimarum inchoauit,quam poſtea in Rota fuit proſequtus, & tribus ſententijs in ea victus,& ita nihil mirum,quod vbi ceptum fuit iudicium, ibi finiatur,& quod pateat ſibi via,quam elegit.Nec ſuffragantur etiam ea quæ pro parte dicti Franciſci Gilabert,& aliorum opponuntur;nempe, dictos Priorem, & Canonicos, non poſſe petere tolli apprehenſionem, & ſigna Regia,quia conſtat executoriales literas dictarum ſententiarũ non eſſe reproductas in Rota , quin potius iudicem executorem dicto Franciſco Gilabert triginta dies,ſibi ad,dimittẽdam poſſeſſionem aſsignaſſe,quo in tempore,tam poſſeſſio capta per dictos Priorem, & Canonicos, quam omnia alia geſta fuiſſe attentata , & executoriales nullius eſſe roboris, & momenti ante reproductionem ; nam prætermiſſa opinione aliquorum aſſerentium reproductionem executorialium tantum modo requiri ad procedendum contra contumacẽ ad cenſuras , & excommunicationem ; ſed minime ad poſſeſſionem capiendam , & quod nullum vicium attentati, in poſſeſsione ex defectu reproductionis dari poſſet. Reſpondetur, quod hic ſumus extra dubitationis caſum , nam quando in Rota plene diſcuſſum eſt de cauſa,parte citata,non executoriales ſe de mandatum executiuum demittendo in poſſeſsionem partibus relaxatur,vt in præſenti,vbi mãdatum executiuum fuit conceſſum dictis Priori,& Canonicis,in cuius executione nulla reproductio requiritur,ſed iudex executor,abſque aliqua monitione,& citatione,in poſ-

ſeſsio-

sessionem obtinentem mitere potest. NEC applicatur materia executorialium, quia ille continent tantummodo monitionem, non autem præcissam cominationem, prout continet dictum mandatum, de inmitendo. EX quo sequitur iudicem executorem legitime in possessioně misisse dictos priorem, & Canonicos, etiã ante reproductionem dicti mandati, si quidem ad illa, nulla indigebat reproductioni, nec aliquod vicium attentati potest eis opponi in dicta sua possessione, nec ad obtinendum in præsenti processu, reproductio dicti mandati exequtiui aliqua requiritur, nec intimatio dicti mandati executiui fuit facta à Priori Rotense executore, vt procedere deberet executionem mandato, de inmittendo; sed tantum, vt notitiam illius haberet dictus Franciscus Gilabert, & casu quo intra tempus triginta dierum, sibi asignatum ad docendum de paritione, non paruerit, posit declarari excommunicatum, aliam ipse tanquam ignarum executionis non posset dici cõtumax. Ex quo sequitur nihil fuisse attentatũ, & quod potest procedi ad vlteriora in vim dicti mandati, nec sunt attenta aliqua, quæ prius veniant purganda, nec etiam dicto Francisco Gilabert prodest dicere non actũ fuisse coram ordinario Illerden. de omnibus decimis de quibus in numero secundo in fine appellitus, apprehensionis fit mentio, nam ibi de decimis noualium fuit disputatum, & earum causa, lis à dicto Francisco Gilabert fuit introducta, & etiam quod in Sacra Rota de illis tantũ fuisse decessum, quia appellationis iudex fundatam tantummodo habet intẽtionem, quoad iurisdictionem super rebus coram iudice à quo deductis, quod ita expresse Rota declarauit, in illæ sententiæ verbis. DECIMAS omnes de quibus agitur, quæ verba claræ, cogitat Franciscum demonstrasse de supradictis Decimis Noualium tantum sententiam Rotæ judicium protulisse: Nam ex documentis à dicto Francisco Gilabert in processu deductis, solutio oritur, quia ex copia processus facti coram dicto officiali Illerdeñ. apparet dictum Franciscum ad litem prouocasse dictos Priorem, & Canonicos super omnes decimas, & tanquam generalem omnium decimarum perceptorem, & decimatorem dicti loci de Albelda, dictos Canonicos, & Procuratores citasse, & etiã dictum Iudicem, & officialem sententiam super omnes decimas promulgasse, ex quibus omnia ab eo supradicta fundamenta allegata corruunt, si quidem de omnibus decimis fuit coram Iudice à quo actum, & quãuis nõ ita se haberẽt supradicta, & tantummodo decimis Noualium in prima instantia ageretur, non obstante allegata pro Francisco, si quidem causa fuit deuoluta ad Curiam Romanam, cum illis clausulis, *quam*, *& quas*, quarum vigore, sententia Rotalis, quæ transitum fecit in iudicatum sustinetur, in alijs decimis non deductis in prima instantia, tanquam si esset lata super omnes, & satis decisio, seu motiua dictæ sententiæ, supradicta, ita se habere demonstrant, quæ illius maiorem declarationem operantur. Ex quo manifestè apparet, illa verba, de quibus agitur non restringere qualitates decimarum, sed esse prolata ad relationem, & demonstrationem omnium decimarum

in processu deductarum. Minus obstant, quæ opponuntur dictis sententijs Rotalibus, & mandato executiuo de immitendo, nempe, quod ex eo, quod dictus Prior, & Canonici, illas sententias deduxerunt in processu tenutæ, & passi sunt examinari testes, & aliæ produci probationes ad docendum de iniustitia sententiarum, & exceptionem rei iudicatæ, non opposuerunt, ex eo visi sunt renunciasse eam, & ita amplius vim iudicati sententiæ habere non possunt, cum non sit dubium; quin possit tacitè, vel expressè dicta exceptio iudicati amiti, quod fieri tacitè dicitur, quando paciscitur de iniustitia, iterum cognosci, quæ tacita renuntiatio, idem operatur, quod expressa. NAM supradicta in casu præsenti procedere non valent, quia huic nostro non conueniunt, nec applicare possunt, cum dictæ sententiæ in articulo tenutæ tantummodo fuerint à dictis Priore, & Canonicis productæ ad docendum, quod in vim earum translata erat eis possessio ciuilis, & etiam corporalis capta in vim dicti mandati executiui de immitendo, cuius vigore dictus Prior Rotensis illius executor, tradiderat eis possessionem realem, & actualem, itaque scopus & finis dictorum Prioris, & Canonicorum dictas sententias exhibendi fuisse demonstratur ad supradictam possessionem decimarum roborandam, & firmandam, & vt declararetur, sententiam proprietatis absoruisse in se possessionem dictorum bonorum apprehensorũ, & etiam vt obstaret litigantibus in dicto processu exceptio rei iudicate ad obtinendum in possessorio retinendę, non tamen fuerunt productæ, & exhibitæ dictæ sententiæ, vt iterum de illarum menſis disceptaretur, nec ad iustificationem earum factæ sunt nouæ probationes, sed ad possessioem probandam tempore apprehensionis aliquos testes Canonici, & Prior deduxerunt, & etiam dictam sententiam exhibuerunt quarum vi, suam possessionem corporalem roborare intendebant. Ex quo sequitur minimè versari in casu in quo posint adæquari iura de renuntiatione rei iudicitæ proposita, siquidem, non vt demeritis sententiæ tractaretur Prior, & Canonici pasi sunt, sed de possessione orta ex dicta sententia rei iudicatæ fuit controuersum interpartes in articulo tenutæ, & quamuis de meritis sententiæ actuum fortasis esset, nõ inde erit permissum iudici contra sententiam agere, non docto de eius in iustitia, nec eo in casu sententia vim iudicati amittit, & in dicto processu nullum vestigium in iustitiæ colligitur, & etiam est certum, in materia renuntiationis, quod non venit extendenda ex facto hominis vltra, quam ex eo de necesitate infertur, si ergo apparet productionẽ sententiarum tantum fuisse factam à dicto Priore, & Canonicus ad obtinendum, in articulo retinende non bene erit retorquendum ius, & inferendum, quod facta ad sententiarum conseruationem ad eius destructionem interpretentur, siquidem ex actu, magis conseruatio, quam renuntiatio iudicati, *de necessitate deducitur*. Nec obstant opposita à Doctore Ioanne Torres, & alijs creditoribus dicti Francisci Gilabert, nam certum esse iudicamus, sententiam latam contra debitorem,

torem, nocere omnibus illius creditoribus, ius, & causam ab eo habentibus post litem motam, seu contestatam. Nam ius eis translatum, est infertum, & liti subnoxium, prout penes debitorem in tempore residebat, & ita eis dicta sententia nocere debet, ex quo etiam sequitur in præiudicium dicti Doctoris Iacobi Torres, & eius vxoris non esse tollenda signa Regia respectu instrumento Comandæ viginti mille solidorum Iaccensium confecti, sub die vigesimo nono mensis Ianuarij, anni millesimi quingentesimi octuagesimi septimi. Nam cum dictum instrumentum Comandæ confectum sit multo antequam lis mota esset, ideò dicta eius hypoteca libera, & nullo modo infecta fuit dicto Doctori Iacobo Torres translata, ex quo in præiudicium illius nihil dictam sententiam obstare decernimus, sententia, namque lata contra debitorem, non obstare creditoribus anterioribus secure tenendum esse affirmamus, nisi in aliquibus casibus de quibus præsens non est, & aliàs attentis contentis. ET ALII DVO DOMINI Locumtenentes fuerunt opinionis, & voti, quod debet pronuntiare, & mandare tolli apprehensionem, & signa Regia à bonis apprehensis respectu iurium, & bonorum sub numero secundo appellitus præsentis apprehensionis confrontatorum, & mandare restitui princ. Nicolai de Sepulbeda, proc. & miti eosdem in possessionem dictorum iurium, & bonorum, non obstantibus in contrarium supplicatis, quæ & alia locum non habent attentis contentis, ex motiuis per dictos tres Dominos Locumtenentes præstitis, & desuper continuatis vsque ad illa verba decencia. *De necessitate deducitur.* Et addendo supradictis motiuis fuerunt etiam ex sequentibus, ex quo etiam sequitur, quod dictæ tres sententię tanquam late cum legitimo defensore ad quem negotij defensio principaliter expectabat, faciet ius quoad omnes qui ex consequentia, & secundario sententiæ damnum consequuntur, cum resoluto iure dominij resoluta censentur iura accessoria creditorum, & aliàs attent. content.

SIG † NVM mei Lupercij Iosephi Mezquita in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateque Regia per vniuersam terram, & dominationem Maiestatis Domini nostri Regis publici Notarij, ac Secretarij substituti Consilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, qui huiusmodi vota & motiua à libro motiuorum dicti Consilij de anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, vbi continuata existunt fideliter sumpta, & collati onata extraxi, in quorum fidem, & testimonium præmissorum meo solito signo signaui, constat de emendatis, vbi legitur s. s. Iacobi, fuit.